



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Iacobi Sirmondi Societatis Iesv Admonitio Ad Lectorem, de sequenti
collatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

quibus post obitum Martini ecclesiæ legitime tamquam verus pastor præfuit, necesse est affirmare, ipsum non amplius quam sex menses & 23. dies Romanæ ecclesiæ præsedisse. Quod autem Anastasius cognoverit, Eugenium tempore Martini adhuc viuentis ei subrogatum fuisse, patebit verbis immediate hic subsequentibus.

Petrus quādo Conf. episcopus sit factus.

[Huius temporibus Petrus patriarcha, &c.] Anno nimirum Christi 653. qui erat Martini pontificis quintus inchoatus. Nam anno Martini quarto, & 652. Christi, teste Nicephoro in chron. obiit Pyrrhus Constantinopolitanus, in cuius locum Petrus subrogatus fuit.

IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV
ADMONITIO AD LECTOREM,
de sequenti collatione.

In questione de sancto Maximo a iudicibus Constantinopoli habita in secretario palatii, multa sunt animaduersione digna; sed hoc præ ceteris memorabile, quod de apocriſiariorum sedis apostolicæ, hoc est Eugenii papæ, ut reor, legatorum cum Byzantinis vniōne commemorat. Rem anno 655. superfite adhuc Martino papa gestam fuisse certa sunt indicia. Quodnam autem id dogma fuerit, cui assentiri legatos coegerunt, declarant epistolæ Maximi ad Anastasium discipulum, & Anastasii eiusdem ad monachos Caralitanos, quæ ordine subsequuntur. Ex his enim liquet, Monothelitas hæreticos eo tandem prolapsos, ut duas & vnam, id est tres in uno eodemque Christo voluntates & operationes prædicarent. Ceterum peracto hoc iudicio, Maximus Bizyam, quod oppidum est Thraciæ, a Constance imperatore in exilium actus est.

RELATIO FACTÆ MOTIONIS
INTER DOMNUM MAXIMUM MONACHVM,
ET SOCIVM EIVS,
Coram principibus in secretario.

Ex collecta-
neis Ana-
stasi bi-
blioteca-
rii a reue-
rendo pa-
tro Iacobo
Sirmondo
editis.

DIE qua dominus Maximus, & is qui cum eo erat, penes hanc regiam urbem applicuerunt, circa occasum solis, venientes duo mandatores vna cum decem excubitoribus, tulerunt eos e naui nudos & discalceatos, & separatos eos ab invicem custodierunt in diuersis excubitibus. Et post dies aliquot adducunt eos in palatium, & introducunt senem in locum, in quem senatus collectus est, & alia multa turba: & exhibent eum in mediū sedentium principum. & dicit ei facellarius cum ira multa & furore: Christianus es? Et dicit: Gratia Christi Dei vniuersorū Christiani-